

DIONYSII SENTEN.


puericia: iudicantes magis Reipub. in-
teresse, quomodo in uirili ætate regeren-
tur, quàm in prima puericia, & longe
plus ualere rectam educationem atq; in-
stitutionem, quàm bonas leges, quia
leges delicta admissa puniant, uerum
bona institutio prohibet, ne
quid pœna dignum
committa-
tur.





*Haganoæ, ex officina Seceriana. Anno
salutis M. D. XXXIII.
die 19. Mensis
Martij.*














T. ALEX

ANDRI CORTESII LI

ber unus, de Virtutibus Bellicis

Matthiae Coruini, Hun-

garie Regis In-

uctissimi

*Vincentij Obsopœi opera in
lucem æditas.*

Haganoæ per Iohan. Secerium.

M. D. XXXI.



2889. 1920

Vincensii Gdlo or Gdlo in

1849

Magis per totum...

M. D. 1849

ORNATISSI

MO VIRO, D. SEBASTIANO

HELLERO, LEGVM IMPE-

rialium Doctori, Vincentius

Opsopœus.



T si serenissimus Rex Hunga-
 riæ Matthias Coruinus, plu-
 rima uirtutū suarū monumē-
 ta posteris reliquerit, ut non
 admodum earundem præ-
 conem & testem requirat,
 nam uirtus p se satis clara &
 eterna est. Tamen cum inter alia literarum egregia
 monumenta, ex illius Bibliotheca ad manus meas per-
 uenerint, maxime beneficio Illustrissimi Principis Geor-
 gij Marchionis Brandenburgensis Principis nostri cle-
 mentissimi huius eximij poetæ T. Alexandri Cortesij
 Versiculi in eius laudem conscripti, non passus sum ut
 illi ipsi diutius in tenebris delitescerent, cum luce sint
 dignissimi, cū ob tanti Principis & bello & pace maxi-
 mi immortalem gloriam, tum istius poetæ mirificā eru-
 ditionem, & ingenium singulare, fuit hic unus ex eorum
 numero, quos foelicissimū illud & politissimū Angelī

P R A E F A T I O

Politiani seculum produxit, quo nunquam scelitium ingeniorum uberius prouentus exitit. Qui, si ad iustam ingenij maturitatem peruenisset, num priscis poetis merito annumeratus esset, huius lucubrationis foetura documento est. Hos autem uersiculos, ornatissime Sebastiane, merito tibi dicere uideor, nō tantū ob id quod homines musicos incredibili quodam amore cōplectaris, sed quod ipse inter eximios poetas honestissimum locum obtineas. Hoc est quod omni humanitate, amore, suauitate, lepore, gratia, uenere, facetijs, urbanitate comitate, ciuilitate, neq; non eruditione, & multarum rerum cognitione, unā cum iuris ciuilibus, ac Pontificij prudentia omnium mortalium es excultissimus & excellentissimus. Quapropter hoc amoris erga

te mei pignus non grauate accipe,

& Vale ex sententia, ex ædibus

nostris Onoltzspachij, Idi-

bus Iunijs. Anno

M. D. XXXI.

REGI MAT

THIAE CORVINO IO. COR. FIL.

Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Raniae, Ser-
naniae, Gallitiae, Lodomeriae, Romaniae, Bulgariae, Du-
ci Austriae, Slesiae, Lucenburgensis, Marchioni Mora-
viae, Lusatie, optimo fortissimoq; Principi, ob
Rempubl. Christianam conseruatam, & impe-
rium regni Hungariae propagatum in-
signibus uirtutibus eius
domi forisq;

T. Alexander Cortesius.



F T si nihil difficilius uidetur
optime Rex, quam de te scribe-
re in quo omnis est laus impe-
ratoria & digna principe uir-
tus, tamen cum existimarem,
si non facultatem at certe uo-
luntate hanc optimū quenq;
probaturum, mouererq; admiratione rerum à te gesta-
rum: scripsi de tuis laudibus libros duos. Et cum bel-
lo & pace aequè clarus sis, uno res bellicas, altero pa-
cis artes sum persequutus. Mitto priorem hunc, Se-
cundum qui adhuc est in manibus paulo post missurus.

P R A E F A T I O

Nam ne hunc ipsum quidem nunc mitterem, nisi indignum putarem, quæ ab alijs legeretur, ea tibi cui dicata sunt esse ignota. Leguntur autem non quia sint scripta eleganter (parum enim, aut ingenio aut doctrina ualeo) sed quia tuas et ueras continent laudes. Quæ ita passim amantur celebranturq; ut & quoquo modo scriptæ delectent, & qui eas scripsit earum omnibus reddant. Nam cum omnes laude cumulatus, tum maius quiddam atq; præstantius in te est, quam quod ætas nostra pati uideatur, & plinè cum antiquitate conferendum. Quare urbs nostra Dea, ut ita dicam, terrarum ac gentium Roma, unde tu originem ducis, tuis gestu uirtutibus, tibi gratias agit. Ipsaq; cui natus es Respub. Christiana, quo frequentius gloriatur, in quò ue magis conquiescat habet neminem. In tanto itaq; totius orbis terræ consensu, ego quoq; absens atq; ignotus feci, hoc qualecunq; est poëma, ut simul immortalem tuam gloriam meis uersibus uenerar, simul egregiam in te ostenderem uoluntatem. Tu uero si nunquam ab his studijs te auertit cura regnorum, lege oro atq; cognosce, & si merui, in tuorum numerum adscribe. Vale.

Ad librum

AD LIBRVM

Care liber, magnum qui iam uolitare per orbem
 Notus & arguis auribus esse cupis
 Qui cupis arctos tectis succedere regis
 Numinis & propius ora uidere mei
 Qualiscunq; mihi multo uigilate labore
 I scelix Gento candidiore liber
 Neu blatta infirmi lædat rubigine, ne ue
 Tempus edax noceat, neu mala lingua tibi
 Sic faueant Muse, & studijs seruata nepotum
 Que canis hæc olim secla futura legant
 Quantus & Alcides, & quantus nomine Achilles.
 Matthias hominum peruolet ora meus
 Matthias Romanus honos, cui uertice sacro
 Pierias laurus bellica fert hederas.

A 4

LAUDES

BELLICAE

Iliacas alij flammās, Thebanāq; fratrum
Arma, & Iasonijs insignem heroibus Argo
Astorum cursus, & Ditis inania regna
Fictaq; Pierio referant miracula cantu.
Nos proprijs spectanda oculis, nos inclyta dextera
Facta tue canimus, quibus aurea sydera uiuus
Tangis, & aethereas fama petis arduus arces
Sed sine te nunquam tenues ad carmine tanto
Subsistant uires oneri, tu numine toto
Dexter ades, da mœoniam tua facta canenti
Matthia Coruine chelyn: si delphica parent
Templa tibi, sentitq; frequens tua nomina Cyrrha
Si Musæ si Phœbus amant, hoc tempore solus
Carminibus si digna facis, quæ nulla uetustas
Deleat, annorumq; graui situs obruat euo
Quamq; absens tanto rerum splendore tuarum
Excitor, assensu laudum procul omnia plaudunt
Fortunæ momenta tuæ, neq; clarius axe
Lumen ab arctoo micuit, sonat omnis ubiq;
Nomine terra tuo, & famam uaga gloria cœlo
Terminat, immensumq; ingens accedit Olympum
Non hæc ingenio complecti aut uersibus optem
Posse meis, Cupido non si torrentia uati
Pteridum sint ora nouem, sit ahenæ lingua

Littoreas

Littoreas aliquis citius numerabit harenas
 Paruaq; per densum uolitantia corpora mundum
 Et tennes per inane globos. Quam singula uersu
 Expediam, potui satius tacuisse furentem
 Ni dulcis raptaret amor, qui frena pudoris
 Rumpit, & immenso cogit decurrere campo,
 Conueniunt omnes quando tua cura poeta
 Certatimq; nouas contendunt scribere laudes.
 Nec bene romano de nomine musa meretur
 Quæ tua facta filet. Regum tu maximus ille es.
 Et maris & terræ domitor, tua fulmina passim
 Horret hyperboræ regio mæotica brumæ
 Te duce tuta fides, tibi religiosa parentum
 Debetur pietas, in te fiduta duris
 Militibus sita Threicij fera munera Martis
 Te penes in te anceps belli fortuna recumbit.
 Tu uallum Italiæ Romana palatia seruas
 Impia tu gentis contundis monstra profana
 Bisaltamq; Scythamq; ferum, tu noricâ uincis
 Arma, & bellacem non uno Marte Bohemum
 Tu mores hominum domitas, & iura per urbes
 Restituis, lapsisq; potens succurrere rebus
 In faciem antiqui mutas mala tempora cultus
 Verum ego non hydræ magis indelebile collum
 Fœcundumq; iecur Tityi consumere posse
 Desperem, aut ixionias firmare rotatus.

L A V D E S B E L L I C A E

Quandoquidem primo tantarum in limine laudum
 Hinc decus hinc rerum incertam fert copia mentem.
 Ac uelut rubrae dubitat rimator harena.
 Quam prius è uarijs gemmam legat ardet hyasspis.
 Lucet onyx uiridi radiat fulgore Smaragdus
 In partes dubium uarias & singula circum
 illum agit hærentem spectandi immensa uoluptas
 Nam quid principio referam unde exordia sumam?
 Maiorum ne prius repetens exempla tuorum
 Messalas atauos memorem stirpemq; Togatam?
 Vnde tuum magnis genus est authoribus ortum?
 An patris Hunniadæ tot bella exhausta tot annos
 Persequar? ut seuos tollens disiecerit hostes.
 Fuderit ut dirum Taurini ad moenia Turcam
 (Nunc albam appellat) alben quando osibus arua
 Bistonijs galeæq; micant, effossaq; pila.
 Et madide humano pinguescunt sanguine glebæ
 Sed genuisse tamen Matthiam gloria maior
 Quam uarijs septem bellis domuisse Trionem
 Et tetigisse altum uicina fronte bootem
 Romuleæ decus Hunniadæ memorabile gentis
 Quo duce Pannonium pulsauit sydera nomen
 Non ulla pro laude pater nullisq; triumphis
 Plus tibi res italæ debent, quam pignore tanto
 Fulmina quod belli populo rediuita latino
 Et tanta euerfis peperisti commoda rebus.

Tu nato

Tu nato concede tuo quantumq; priores
 Vicisti, tantum uinci patiaris ab illo
 Non secus eadem proles pelléa Philippum
 Fortior, & bello Peleum superauit Achilles
 Sic uinci Anchises nato gauisus & egeus
 Magnanimum leto miratus Thesia uultu
 Atq; equidem nasci Romano semine multum est.
 Matthia arripotens aulhorum fortibus actis
 Et genus & famam renouare & fata suorum
 Scilicet ante alios cursu Neptunius auras
 Alius efflat equus, uirtusq; immissa propagat
 Indole diffusas cognata in pectora uires.
 In te creuit honos rerum successibus auctus.
 Et noua maiorum uirtus tua nomen obumbrat
 Sola bonis contenta suis nihil indiget patrum
 Te uario casti uenturum carmine uates
 Te cecinit multo quondam pius ore sacerdos
 Quiq; auium cantus, quiq; ardua sydera norant
 Aut qui diuinum spirant sub pectore numen
 Tum coelum sua signa dedit phœbeaq; lucem
 Natalem prædixit auis, cum decidit æthra
 Annulus in gremium matris delapsus elise.
 Ipsa sub umbrosa fatorum nescia quercu
 Carpebat placidam seclusa in ualle quietem
 Huic puer insomnis utero quem languida pleno
 Gestabat subito foete circum ubera uisus

L A V D E S B E L L I C A E

Ludere & infantis factu uelut agmine in ora
 Plurima precipiti labentia flumina cursu
 Pectore sub magno dictu mirabile condi.
 Cum subito gemmam digitis quæ lapsa iacenti
 Errabat rostro præpes librauit acuto
 Inq; sinum celsa demisit ab arbore coruus
 Et leuiter molli distinxit lumina penna
 Excidit extemplo somnus, tum læta salutans.
 Augurium uerbis supplex his diua præcatur
 Corue sacer longa superis gratissime uita
 Seu tu sponte uenis nostri præsagus honoris
 Seu pater altitonans coelo te misit ab alto.
 Adsis, & tanto fortunes omine natum
 Tu gentilis honor, cognomen nobile nostri
 Tu generis, te nostra ferent insignia semper
 Parq; aquilis toto uenies uictricibus orbe
 At tu rex superum primis cui pugnat ab annis
 Hunniades, cui sese ultro deuouit, et omnem
 Progeniem, quando eueniunt sine numine nunquam
 Ista tuo carum foelici lumine foetum
 Aspice & auspicijs insomnia læta secundis
 Ut quot ab innumeris manabant fontibus amnes
 Tot sint regna meo late parentia nato.
 Vndiq; coeruleis circumdata regna fluentis
 Hæc ait, & tacitis ueneratur numina uotis
 Pannonius quo more Senex aut dalmata sueuit

Qui desy.

SA T. C O R T E S I I A J

Qui de syderio coeli, Terraq; mariq;
 Longum iter emensus, tandem peruenit ad arces
 Maxima Roma tuas, & flexo poplite supplex
 Ardua clauigeri succedit limina Petri
 Ipse pius tremulis titubantia murmura labris
 Integrat ipse preces, & cana fronte peractis
 Concretam uocis exemit pectore labem,
 Non aliter coelum diuosq; precatur elisa
 At pater omnipotens melioris conditor eui
 Proxima maturi repetens iam tempora partus
 Atq; animum castæ precibus commotus elisa
 His incorruptam compellans uocibus ultrò
 Affatur Mariam, quanquam facta impia cogunt
 O mater, diro pœnas de sanguine sumam
 Immittamq; globos flammaram in uiscera terre
 Et genus humanum deletò semine perdam,
 Iam pudet in nostras armari numina uires
 Quæ superis depulsa polis damnauimus orco
 En Russus fera bella cient, Russusq; gigantes
 Monstraq; de superis audent decernere regnis
 Pars quota terrarum restat mihi, possidet orbem
 Turca ferox, Eurûq; premit & Magmedus & austrû
 Nec patriam tantum Solymam nec Achaica tantum
 Regna, Sed Illyricum tenet Epirumq; superbus
 Angusto uix tuta freto Roma inclyta, Diuum
 Roma locus, Roma imperij pulcherrima sedes

L A V D E S B E L L I C A E

Quid memorem infandis tot diruta templa ruinis
 Dedecus in nostrum, uersum fasq; omne nefasq;
 Pollutamq; fidem, & temeratas cædibus aras
 An frustra ignifera torquemus fulmina dextra
 Miscemusq; cauis horrenda tonitrua nimbis
 Me tamen Hunniadæ pietas mouet, actaq; bello
 Fortia, & effusus nostro pro nomine sanguis
 Sed quoniam meritum iam pridem sede locare
 Sydereæ certum est, & iam nunc filius illi
 Nascitur, hunc rebus bellantem imponere fessis
 Hoc sæuos ductore parò compescere Turcas
 Ergo age tu Lucina parans, tu maxima luno
 Da faciles matri partus, natumq; rubentem
 Excipe, cumq; suo uocem formauerit ore
 Fac Turcas puer ille, meas sequeret ad aras
 Igne secuturum, & ferro terraq; mariq;
 Postquam alacres magnis uires firmauerit atsis
 Is premat immanes inuictò milite gentes
 Aureaq; arctois componat sæcula terris.
 Hæc ubi dicta, polus tremuit, tremuere cauernæ
 Tellurisq; cauæ & sonitum maria alta dedere.
 Palluit anguiferis impexus criminibus ora,
 Territus atq; imò latuit Magmedus auerna
 Ceu latet in tonso pavidus sub gramine serpens
 Vicina apparet quotiens Iouis armiger æthra
 Dulcibus is prædam natis rimatur & arces

Dat penna

Dat penna stridente sonos super aëra raptus
 Ille anceps glacie torpet, latebrasq; propinquas
 Intrat, & optatae tumulo sese abdit harena,
 Interea caræ nullo langore parentis
 Continuo indias ope numinis editus auras
 Ipse puer strictos primis uagitibus enses
 Complesti, in patrijs repositi paruulus armis
 Multis exceptus manibus, plausuq; fauentum
 O Thrysiùm tenero spirabas pectore Martem
 Qualis ubi in cunis genitus Ioue mollibus infans
 Elisit geminos manibus Tirynthius angues
 At tibi nascenti fortuna innoxia plausit
 Permissitq; manu blandum Rhamnusia pectus
 Affuit aeneadum genitrix formosa Diona
 Gradiuusq; parens atq; urbis Romulus auctor
 Exoriare inquit nostro de sanguine tandem
 Magne nepos, patriæ decus & tutela ruentis
 Quanta tibi placidi fauet indulgentia cæli?
 Qualibus ægoceros radijs quo lumine Maiores
 Prospicit, & quanto rutilus Ioue fulgurat æther
 Ingens æthnæis stridet fornacibus ensis
 Ingentem Siculi formant Thoraca cyclopes.
 En tibi iam rupes Vulcania tota remugit
 Incipe diue puer tenero uibrare lacerto
 Tela uirum iam nunc animos ostendis auitos
 Quippe his Scipiades oculis, hoc paruulos ore

L A V D E S B E L L I C A E

Cæsar erat, sic Coruinus mihi riserat olim
 Aspice iam nostri quantum stat roboris instar
 Fronte tibi & patrios effingis imagine uultus
 Qualis eris, cum mœstus Arabs cum territus Indus
 Cernes adhuc superesse mea de gente nepotem
 Ausit qui domitis totiens iuga ponere Dacis.
 Perge modo non hæc equidem te oracula fallent
 O spes Ausonidum & Romani nominis hæres.
 Dixerat ipsa fouens gremio Tritonia Pallas
 Hastam insertabat dextræ & phorcynida leuæ.
 Et paruo auratum capiti diadema locabat:
 Ter lauro cinxere comam, ter blanda dedere
 Oscula, ter lætæ cecinerunt omina Parcæ.
 Vix fari poteras breuibus cum longa lacertis
 Tela dari toruus patre exultante petebas,
 Assuetus clangore tubæ atq; hinnitibus ipsis
 Lætari & flammis galeæ ardore coruscæ:
 At non armorum sonitum pugnæ ue fragorem
 Consertæ horrebas, gemitus uocesq; cadentum
 Auribus intrepidis, tormentaq; pectore suctus
 Audire impauido, cum saxea fulminis instar
 Ut pila flammiferi sonitusq; imitatur olympi
 Non annis tumidi murmur, spumantiq; undis
 Aequora, non rapidis terrebant flamina uentis
 Sic in chaonijs generosæ uiuidus aruis
 Pullus equæ, uisq; truci uenaticus apro

T. C O R T E S I I

Indolis ante annos catulus dat signa Molosse,
 Post ubi paulatim creuit robustior etas
 Atq; metus expers adoleuit corpore uirtus,
 Non tergo, sed fronte uago notissimus hosti
 lam uolucres solitus cursu praeuertere ceruos
 Flammea uel celeris saltu uestigia Dame,
 Telaq; nunc arcu, nunc saxa emittere funda,
 Aërea sulphureis tormenta incendere tedis.
 Murorumq; frequens lapsam ingeminare ruina
 Ac uelut hesperium Poenus cum presserat orbem
 Annibal, aëriasq; furens animosa per alpes
 Et Pyrenæos raptauerat agmina saltus
 O quotiens ausus uastos umbone molares
 Pellere centenis, quotiens occurrere telis
 Intactas super ire niues fluutosq; minaces.
 Et tumidum audaci pelagus tranare natatu.
 Cum trepidum genitor castris educeret agmen
 Ipse author pugnae stabas, et terga daturis
 Firmabas dubium rerum discrimine pectus,
 Cumq; per insidias à tergo inuaderet hostis,
 Et furtim missas tremere procul alba phalanges
 Vertebas strictis pauidas mucronibus alas,
 Ceu ferus aeneadas premeret dum neruius acres
 Iulius emucuit, raptaq; à milite Parma
 Restituit fusos media inter signa maniplos,
 Et quod defixum est Othomanni Regis in ore

L A V D E S B E L L I C A E

(Vulnere quo turbata acies) tua dextera telum
 Torserat, auspicio parata est victoria tanto
 Inde chorus Diuum cœliq; exercitus omnis
 Pro te bella manu telis infesta ciebant.
 Ipse pater superum summo tibi Christus olympo
 Propugnator erat, iam tum pia numina uoces
 Auduere tuas, & uotis annuit æther.
 Ille Pharaonias summersit fluctibus alas,
 Ille & legisero Mose Deus affuit; undas
 Disiciens, mediumq; uiam patefecit in æquor
 Nimirum Macedum populi atq; Alemannia pugnae
 Auentu tremuere tuo, responsaq; Diuum
 Bosphorus, et Scythicis Hypanis procul horruit undis
 Interea Hunnaden referentem signa cruentis
 Turcarum spolijs, ne quid mortalibus ultra
 Viribus auderet maius, reuocare parabat
 Iuppiter, & uacuo terræ decus addere cœlo.
 Isq; ubi labentes arctus, & frigida membra
 Sensit, anhelantemq; anima fugiente iuuentam.
 Sic satur moriens, dictisq; ita pectora firmat.
 Nate mihi uita semper iucundior ipsa,
 Flos regum natæ ausonidum lumenq; futuræ,
 Accipe, & hæc memori præcepta in pectore fige.
 Nam te qui supra est annis & uertice toto
 Fratrem fata mihi comitem dant mortis acerba,
 Iam propior mors atra ruit, quid lactea colla

Quid

T. C O R T E S I I.

Quid flauos calido conspersos sanguine crines
 Commemorem, heu tenero sanguis mens occidis auro
 Projicis & truncum ferro te uictima corpus,
 O dolor, ô lachrymæ dulcis Ladelæ tuorum.
 Tu cui foelices ostendunt numina cursus
 Qui patriam nomenq; feres ad sydera nostrum
 Vtere sorte tua, nec foedi carceris horror
 Terreat, aut duri imperium crudele tyranni,
 Inueniet fortuna uiam, uictorq; redibis
 Quadrijugo insignis subiecta per oppida curru,
 Cum te Pannoniæ regem te Misia & altæ
 Noricæ Illyricis mundus uenerabitur oris,
 Successuq; ferens, sese letabitur omnis
 Armipotens Europa tuo & caput efferet astris,
 Amplum nate tibi regnum famamq; relinquo
 Duratum castris Hunnum, assuetumq; periculis
 Qui nulli inferior genti pietate uel armis,
 Quiq; tuis nunquam desit conatibus audax.
 Aude omnes tentare uias hoc milite, & omnes
 His belli contemne minas, puer inclyte dextris,
 Debellanda manu uariarum horrenda ferarum
 Monstratibi, & multæ diuersis finibus urbes,
 Augendum bello decus & sudore paranda
 Gloria, nam magnos fortunant fata labores,
 Ergo nec somno indecori, nec tempora segni
 Perde situ, & patrem duris imitare sub armis,

L A V D E S B E L L I C A S

Incumbent alij Sarrano mollius ostro,
 Argutas tenui ducent de gutture uoces
 Pulsabunt cytharam melius, saltuq; choreas,
 Intextent agili & conuiuia lauta parabunt
 Tu bellare frequens & uincere nate memento
 Hoc tibi erit studium, regniq; extendere fines,
 Exercere fidem, & contingere sydera factis,
 Ingredere, & tantos iam nunc ordire labores
 Iam noua pertentant moribundum gaudia pectus
 Hæc memorans dulci genitor dedit oscula nato,
 Et simul astrigeris conscendit in æthera bigis
 Aelius ut Solyma uates leuis excitus aura
 Egit sydereo candentes igne quadrigis,
 Obstupuit medijs agitantem in nubibus axem,
 Sublatumq; polo nequicquam exclamat Elyses,
 Quo ruis, & dulcem linquis crudelis amicum,
 Sic pater Hunniades cœlo sese intulit alto,
 Tum diua immenso regnum paritura labore
 Mattheia fortuna suo, fratrem impulit acrem
 Vlscisci patrium ferro decus hoste perempto
 Ipsius ante oculos Agelai Regis & ora
 Ense utrum necat, indomitum patriq; parentat
 Audax Hunniade natus, nec iura nec arma
 Regalem ue manum ueritus fascēs ue tremēdos
 Sumeret ut meritas hostili à sanguine pœnas,
 At rex Pannonia tremuit Germanus in aula

in fontemq;

T. C O R T E S I I

Infontemq; dolis iuuenem, & nil tale uerentem
 Occupat, ac multo foedatum uulnere sanus.
 Imperat, intonsa caput à ceruice reuelli
 Heu pietas hæret uinctis post terga lacertis
 Infœlix puer et crudelia fata moratur
 Terq; quaterq; serus nequicquam fortia licitor
 Colla ferit, crebrisq; addit super ictibus ictus
 Purpureo niueos humeros dum cæsa cruore
 Infecit ceruix & pulchros abluit arctus
 Non lachrymas pueri, non plebs patrius ue senatus
 Continuit, tristesq; necem fleuere cateruæ
 Turpauit senior squalentes puluere canos
 Danubius gemuere alto sub gurgite nymphæ
 Et Riphæa iuga & Boreæ glacie obsita tellus,
 Sed non ille diu casu lætatus acerbo est,
 Dum noua regifico celebrat connubia luxu
 Interit inter uina miser libata dapesq;
 Lætâq; lugubri turbat conuiuia planctu
 Nil adeo certi miseris mortalibus usquam est
 Tu uelut alterna Pollucis morte redemptus
 Castor Amyclæum stellis ostendit honorem,
 Et certam nautis tranquilla luce salutem,
 Tales ades regno euerso patriæq; ruenti,
 Cum primum lapsas miles tibi uictor habenas
 Et regni uaga frena dedit ceruicibus ipsis
 In solum regale serens, fractisq; catenis

L A V D E S B E L L I C A B

Tradidit arctoe late moderamina gentis
 Principio infensas acies populosq; rebelles
 Impia non grati periuria militis ultus.
 Sub iuga depresso misisti regia collo,
 Nec dum etiam primo uestibat flore nitentes
 Barba genas, cum leta tuos uictoria curru
 Circumit, & uirides substrauit gloria lauros,
 Prima triumphales fronti concessit honores
 Sedito pacata tuæ, prima impulit armis
 Discordes late gentes frenare seueris
 Nec mora Sidonio longe spectabilis ostro
 Sacra facis, sacrasq; Deum ueneraris ad aras.
 Vocalem ueluti fama est, Dauida tonantem
 Placuisse Deum, teneri fundamina regni
 Dum iacit & puram sacris fert curribus arcam,
 Macte animis & care tuis coelestibus Heros
 Qui sancta imperij pietate exordia firmas.
 Non uires non arma magis, legum ue potestas
 Religione ualent, mundum terrore subactum
 Hæc regit, hæc seuas moderatur numine gentes
 Protinus Hostilem ductor capis acer Iasam
 Inuictumq; doces uinci certamine Turcam
 Ac prius indomitum, fugientia uertere cogis
 Terga ducem, nec te belli uis ulla, nec ullus
 Impetus auerit dura obsidione prementem
 Mœnia, disiectis donec patefacta ruinis

T. CORTESII

Intraſti curru uictor ſublimis ouanti
 Et magnam Inſandis rapuiſti ex hoſtibus urbem
 Sed dum perſequeris uictricis præmia pugne
 Vltioresq; trahis iurata ad prælia diuos.
 Dira ſuperſtito patrias inuaſerat urbes,
 Huſius huic author quondam, nec templa, nec aras
 Erexit ſuperis & quæ conſtructa manebant
 Diruit impius, inſcælix ac peſte cruenta
 Triſtia periuræ maculaui mœnia Præge
 Multaq; de ſuperis demens inſanda canebat.
 Hinc oriæ monſtris factes bacchataq; paſſim
 Prodigia Herculeis non contemnenda lacertis,
 Theſiphones atræ ſtimulis accenſa fremebant
 Nec contenta ſuis iam pridem finibus ingens
 Bellua, Pannonias ſpiris inuoluerat ambas,
 Mille manus illi fuerant, & cornua mille
 Et totidem in tortis armabat colla collubris,
 Cum procul obſeſſas regni circumſpicis arces
 Tartaræ labis tabo, ſic protinus orſus.
 Quid Thracû ſequar indomitos, Arabumq; phalæges.
 Quos terra & uæſtis dirimit mare fluctibus altum?
 Monſtra domi uincenda mihi maiora ſuperſunt,
 Inteſtina mei populator uiscera regni
 Sacra lues propiusq; in limine labes
 Indigetes diui patriæ tutamina noſtræ
 Et tu ſanctorum columen Stephane inclyte Regum

L A V D E S B E L L I C A E

Si me cana fides pietasq; illaesa ciere
 Bella iubet, medijsq; arctus opponere telis,
 Nunc precor ò superi sinite hae me sternere dextra
 Prodigium, diroq; manus foedare cruore.
 Nunc sinite his terris sceleratam auertere pestem.
 His dictis, monstrum patria ui perdere adorsus,
 Non claua accinctus, non in certamina pelle
 Venisti, rigido pugnatum est undiq; ferro
 Undiq; commissæ cumulatòs stragis acervos
 Cernere erat tepidas Oderæ cruor inficit undas
 Inuoluitq; ruens labentia corpora uertex
 Pars flammis ambusta sonat, piceoq; crematur
 Igne lues, nigris lucent incendia bustis
 Et sparsos rapiunt cineres in nubibus Euri.
 Erga uicta tuis portenta Bohemica telis
 Tempora uictrici flauentia fronde coronat.
 Præceduntq; duces onerati colla cathenis
 Atq; sacerdotes coetu comitantur honore
 Florentes usentem urbis, et uota sacramentem
 Aurea Cæsaries humeris uoluitabat eburnis
 Letaq; purpurea flagrabant ora iuuenta
 Qualis ubi auricomos eduxit Lucifer ignes,
 Vere nouoroseus rutilo sol enitet astro.
 Sic formæ splendore nites, clarisq; uerendæ
 Virtutis belliq; notis, ò nobile Martis
 Numen adoratum, ò terra decus omnibus ingens,

Iura manu pacemq; geris uiridesq; triumphos
 Et scelerum ultores educis in agmina diuos.
 Imperium tibi grande comes, tibi regna, laborq;
 Clarus, & insignis generoso uulnere mortes,
 Bello iura Gethis bello data iura Britannis.
 Parta quies populis & uita gloria maior
 Adde tot erectas urbes, positosq; colonos
 Tot pacata fero late loca uasta latrone.
 Acquoraq; inuectas quondam per inhospita merces.
 An memorem iunctas diuerso à littore gentis,
 An notas rerum causas sedesq; locorum
 Et mores hominum & uarie commertia lingue
 Hoc cœlo Alciden, uictoq; oriente lyæum
 Extulit, hoc Persas, Pœnos, Gallumq; potentem
 Romanosq; tuos, & te fortissime Princeps.
 Qui nunc extremis Europæ uictor in oris
 Immanem auertis Tyrrhenis urbibus hostem,
 Salue certa salus rerum, pater inclyte mauors
 Certa uirum, tibi nunc æternæ laudis honorem
 Inuictumq; cano Romano carmine regem
 Quod si nascentis uixdum Cortesia Muse
 Orsa uuent diciq; meo dignabere uersu
 Matthia, incipiam rursum & primordia laudum
 Exequar, exemptus uulgo doctasq; per auris
 Ipse uirum longos uiuax uolutabis in annos.
 Nox cœlum interea nigris inuoluerat alis

L A V D E S B E L L I C A E

Et placido miles laxabat corpore somno
 Strataq; per terras animalia fessa iacebant.
 Rex uigiles animo curas casusq; futuros
 Et rerum ingentem uoluebat pectore molem,
 Extemplo lasijs iuuenis cui fulgidus armis
 Visus adesse procul, Martemq; accendere dictis
 Care nepos potes hoc tardare ingentia cursu?
 Fataq; fortunamq; tibi, quæ tradita custos?
 Imperio superum magnis accingere rebus,
 Pugnandum meliore Deo, seruandaq; rursus
 Roma tibi, & generi rursus data gloria nostro
 Aspice me tanti qui sum cognominis author.
 Cui quondam galea coruus consedit in ista,
 (Coruigerumq; alte quatiens caput) et age segnem
 Rumpere moram, & tantis sanguis meus utere fatis
 Hæc fatus cristis fulgentibus exiit arma,
 Telaq; terribilem nodis ac uiribus hastam,
 Insignemq; ensem, atq; iterum sic ore profatur
 Accipe digna tuis tandem uirtutibus arma
 Quæ tibi tam multos olim seruata per annos,
 Hæc cytherea suo quondam dedit aurea nato
 Hæc soliti gestare patres, his fortiter usi
 Dum stetit imperium, sed postquam à culmine lapsa
 Roma ruit, passimq; omnem distracta per orbem est,
 Ocului mecum Elysij arma incluta campis
 At modo Sicanijs iterum Vulcanus in antris

Firmauit

T. C O R T E S I I

Firmavit, crassumq; oris superaddidit aurum,
 Hæc tibi do generis lux ò clarissima nostri
 Ne dubites acres in prælia poscere Turcas
 Indue & Ausoniam factis ser ad æthera famam
 Talis narrabat croceo cum flava serenum
 Ore ferens aurora diem pulsabat olympum,
 Sensit & Ambrosio respersum rore nepotem
 Deserit, & cæcæ nocti se immiscuit heros,
 Matthias monitis & tanto munere letus
 Singula miratur rutilus radiantia flammis
 Et galeam & clypei longe uenerabile textum
 Nunc illustre caput uestit, nunc brachia, latos
 Nunc humeros, aptatq; altis accommoda membris
 Et solito magis armorum fremit excitus cestro
 Qualis ubi Etruscis Volaterræ in fimbis urbis
 Aetnæo par flamma iugo de rupe cauata
 Exilit, aspirant Boreas si forte Nothusq;
 Sulphureos tum terra uomens eructat acervos
 Acrius, ignescuntq; magis per nubilo flammæ
 Sibilaq; ingeminant latrantibus effera saxis
 Ex illo asiduis uitam traducere castris
 Matthia, & duris statuisti incumbere rebus,
 Arma cibos, dant arma thoros, placidumq; soporem
 Instratus clypeo nudoq; in cessite carpis,
 Contemptam ne sitim referam, somnumq; famemq;
 Concretas sudore comas, spretoq; calores

L A V D E S B E L L I C A E

Ac rapidos longis superatos solibus aestus
 Frigoraq; arctoïis deuicta rigentia brumis ?
 Mollities alios turpiq; ignauia luxu
 Lenta iuuat, tenerisq; quies ingloria plumis
 At te artes tractare iuuat Mauortis, anhelum
 Qui melius te frenat equum ? quis flectit in orbem
 Ocyus ? his stimulis agitari mallet Arion,
 Te sessore ferox pensaret Cyllarus acrem
 Castora, pensaret te Persea Pegasus ales,
 Quem Bellona magis rutila tegit horrida Parma ?
 Aegide quem tantum Pallas fulgente tuctur ?
 Cuiue suum totiens gradiuus commodat enssem ?
 Quis dura inuictæ dextra quatit acrius hastæ
 Robora cui pectus thorax animosius ambit
 Aeneas non maior erat, non diuus Achilles,
 Ambo animis alacres armis cœlestibus ambo,
 Quis uaga castra locat te cautius ? opprimit hostem
 Durius ? aut cingit melius munimine uallum ?
 Aut premit obsessas bello constantius urbes ?
 Quis patrio latos de more agitare per agros
 Ponere, quis iunctos sciat aptius ordine currus ?
 Scis tormenta hosti uenturo aduersa locare
 Et loca fluminibus uicina & pinguibus aruis
 Deligere, & duplicem castris deducere fossam
 In quamcunq; libet faciem componere pugnae
 Agmina, siue tua placeat, seu lege priorum

Omnia

T. C O R T E S I I

Omnia militiæ calles documenta seueræ
 Quin genus armorum uarium, & quo quisq; superbis
 Ense minax, qua ut telum, qua torqueat hastam,
 Pectoraq; & latos quo tegmine munit armos,
 Callida fertori & Regis mens uasra Molossi
 Talis erat uirtus ue senis matura Camilli.
 An tu Cantabricis Cimbrorum septa manipulis
 Castra perhorrescas, aut iuncto Gotthus alano
 Aut coniurato si Vandalus aspera Pœno
 In te bella ciant? an quisquam eludere tectis
 Letetur te posse dolis, telisq; fugare?
 Firmior undisono scopulis, quos impete frangunt
 Auster & insanis nequicquam fluctibus æquor
 Obsistit bellis animus casusq; futuros
 Præsaga cum mente uidet, uis corporis acres
 Strenua belligera sternit uirtute cohortes
 Ac uelut obscura densus caligine nimbus
 Qui uarias atra concepit nube procellas
 Post ignes rutilos & crebra tonitrua, præceps
 In syluam perinane ruit, magnoq; fragore
 Frondiferas auium sedes, atq; alta uolucrum
 Culmina perpetuum geminans quatit ictibus hymbre.
 Et rapido tonsos prosternit turbine ramos,
 Nulla equidem rare monumenta ingentia pugne
 Egregia te clade latent, Marathoniam nosti
 Bella, Saguntinasq; faces Cannasq; Padumq;

LAVDES BELLICAE

Et quanto Leucas, quanto Cathelanica tellus
 Aemathij quotiens rubuerunt sanguine campi
 Ergo rudimenta & corruptæ munera firmas
 Militiæ ut bello teneris assuescat ab annis,
 Ut sese ad uarium fingat certaminis usum
 Et parere ducum dicto matura inuentus
 Discat & iniussæ fugiat discrimina pugne
 Iussa eadem infestis hosti concurrere telis
 Ardeat iræ ferox, curro seu tendere gyro
 Aut sit opus recto aut firmo decernere gressu
 Siue urgere procul iaculis, seu cominus ense
 Ire, Ducemq; sequi legio per uulnera discat
 Siue pedes siue asper equo procedit anbelo
 Tentarit seu ualle uiam, siue ardua montis
 Per iuga, seu cæcis sylvarum amfractibus erret,
 Annosum ueluti cerui ramosa ferentem
 Cornua, strymoniæq; grues super atra sequuntur
 Nabilia ductorem & certo procul ordine cingunt
 Tum uero assensu felix exercitus alte
 Conclamant uario, dubiæ iam nullo timemus
 Fortune te Rege mala, & te extrema iubente
 Aethiopum impauidi ferro penetrabimus arua
 Tecum fluctisonis capita obiectare periclis
 Non pigeat, tecum diris obsistere monstris
 Et proprios piceis arctus opponere flammis
 Aut qualetiferas muralis machina glandes

Spargit

T. C O R T E S I I

Spargit, & excussis creber sonat aere telis
 Scorpius, innumeræq; uolant per spicula mortes
 Talia magnanimo fundebant pectore dicta
 Et quocunq; ruas penitus te quisq; ruentem
 Prodigus instructos animæ comitabitur enses
 Ut tener insuetas iuuenis cui pectore flammæ
 Ignis alit, caraq; animis in uirgine fixis
 Ille mare in medium, medios ille ibit in ignes
 Intrepidus cum iussit amor, cumq; impulit æstus
 Projiciet dulcem per mille pericula uitam,
 Optabitq; sua dominæ placuisse ruina
 Et quoniam solers uires industria firmat
 Horrida continuis exerce corpora bellis
 Si quando siluere tubæ, ualloq; refixo
 Agmina sedatis iam captant ocia rebus
 Venatum interea studijs flammantibus utur
 Tum miles positus uibrat uenabula pilis
 Tum nemorum canibus saltus atq; auia lustra
 Circumit, & uastis figit pecora abdyta syluis
 Indicitq; feris alio certamine bellum
 Moenia seu uacuis pacatis urbibus intrat
 Multaq; belligeris edit spectacula ludis
 Aut ferit ense uirum uir cominus, aut petit hasta
 Eminus, armorum conflictu personat æther
 Vicinæq; procul syluæ montesq; reclamant
 Qualiter indomiti longis per compita tauri

L A V D E S B E L L I C A B

Quos trahit implicitos laqueis Romana iuuentus
 Agmine cum toto Capitoli in uertice pugnant
 Si iuuenem curuis elatum cornibus alte
 Excutiunt, ac more pile super etherea iactant
 Tum uero arrectis animis aeneia pubes
 Incessunt, magnisq; implent clamoribus urbem
 Tum uaga per septem ressonant murmura montis
 Præterea ualido franguntur robora nixu
 Ictibus & sonipes tantis collisus utrinq;
 Ingemuit, fufis equites labuntur habenis
 Semineces rubroq; lauant fora lata cruore
 Facta uirum trepidae mirantur fortia turba
 Pectoraq; inuadit pauor & miserabile murmur
 Martia ceu magnis urbs quondam effusa theatris
 In ferrum audaces uidit concurrere turmas
 Auertis largo mæstos à sanguine uultus
 Plurimaq; ex animi matrona expalluit ore
 Quisq; sibi dubijs hinc te fortissimas optat
 Rebus habere ducem, tecum maioraq; bello
 Audet & in pugnam uiolentius ardet Erynnis,
 Et magis horrendo duce te Mars intonat ore,
 Nam quid lecta canam generosæ robora pubis?
 Quisquis parrhasia fama celebratur ab arcto
 Te colit, & multo compulsus nomine gaudet
 In partes transire tuas, tuaq; arma fouere
 Haud equidem magna desunt qui Stentora uoce,

Qui cursus

Qui cursu Aiacem, qui uiribus Hectora uincant,
 Non unus tibi Tydides, non unus Vlysses
 Militat, heroas post hæc ueneranda uetustas
 Parcius, heroumque duces extollat Atrides,
 Non his Matthia modo formidabilis armis
 Militibusque uenis, nec te sollertia tantum
 Victorem aut duris facit experientia rebus
 Sed quod prisca fides pietasque; Aseræque uirgo
 In pugnas te læsa ciet, quis iustius arma
 Induit, aut pacis studio mage bella capessit,
 Causa Deo præsentem ipso stat in agmine uictrix
 Vna tibi quando ante altos defenditur omnes
 Religio, sequiturque; ducem foelicibus ausis
 Conatus comitata tuos, ipsa unica bellis
 Urbibus, ipsa tibi præses, tecum ipsa uolentes
 Signiferosque; in bella trahit memoranda penates
 Quippe aliquis superum turmas circumuolat ordo
 Arma inter, sunt ignes, flagrantia sunt
 Fulmina grandiferis uentique; hymbresque; procellis
 Ergo numinibus fidens et nobile uasto
 Munitus patriæ uirtutis robore pectus
 Cuncta tuis ueluti subsidant uiribus arma
 Nulla oblata feri detractas prælia Martis
 Et nullum pugnae uitas genus acer iniquæ
 Occurrisque; hosti uel inuident milite montes,
 Obuia uel densis peditum seges horreat hastis,

L A V D E S B E L L I C A E

Ecce aptem à stygio Furiarum prima Baratro
 Bella ferens flammâsq; Asiam bacchata per omnem
 Threicium iuxta demissis bosphoron alis
 Constitit, urbs magnis ubi curuo in littore fatis
 Spartano fundata dum sese erigit, illic
 Gens effrena fero quondam cognata gelono
 Massagetae Turcaeq; horrendo Marte fremebant
 Impius & Grata perfusus sanguine pectus
 Arcem instaurabat domita iam victor in urbe
 Magmedus quem successu fortuna secundo
 Coeperat ignauo captum corrumpere luxu
 Hic iuuenem tristi uirgo Cocytica uultu
 Patris Amurathæ in faciem mutata labantem
 Increpat, & seuas dictis ita suscitât iras
 Ergo ne quem neq; bella ualent, neq; nate labores
 Inuictum superare quies atq; ocia frangent?
 Non ita te cædes inter pugnasq; cruentas
 Erudij attritus galea pater, eripe paci
 Te nate, & bellis immanibus infere bella
 An tibi bellorum precium sit uile Corinthus?
 Tunditur Euboico quæq; inclyta marmore calcis?
 Scodraq; Dalmaticæ pudor? en procul aspice in armis
 Aemulus aeneadum quantus tibi sanguine surgat
 Matthias huius fatis contraria nostris
 Fata uides, seuo iuuenem prius opprime ferro
 Pannoniam patrio quam firmet robore gentem,

Solus

Solus hic infirmo poterit ni sternis ab ævo
 Fortunæ promissa tuæ rescindere fata
 Illius auspicijs fufum te uidit & armis
 Taurinum uidit cuius stat fronte cicatrix
 Vultus, an hoc unquam uultus patieris inultum?
 Quid pater Hunniades quantis me affecerit olim
 Cladibus, & dire memorem discrimina mortis,
 Diripe iam factis lacerum crudelibus hostem
 Teque simul patremq; tuis ulciscere bellis
 Et fatura in feno maiorum sanguine manes
 Tantarum si te ulla mouent præconia laudum?
 Dixit, & ardentes oculos suffusa cruore
 Tenareas imò fixit dea pectore flammæ,
 Et scelus & geminos per uiscera concutit angues
 Dein pennis inuicta atris super agmina belli
 Eumenis inferno signum canit improba cornu
 Et uictrix herebi subito se reddidit umbris
 Illi atrox medijs rabies infueta medullis
 Seuit & infano stygius furor æstuat igni
 Aegraq; letiferum sudant præcordia uirus
 Tum uero laxis præceps Othomanus habenis
 Aeolus ut cæcis uentos emitit ab antris
 Agmina per terras effundit, & omnia late
 Arua ferox animis numerofo milite complet
 Ac uelut obscenis Maurusia terra locustis
 Cum tegitur nigroque alarum obducitur hymbri

L A V D E S B E L L I C A E

Vna agros glomerata omnes tot millia uastant
 Et letas densa populantur grandine messes
 Sic in Dalmatico confedit littore Turca
 Haud ego crediderim iuuenum tam multa secula
 Milia Cambysen Lagæa in regna furentem
 Aut Xersem Aegæo minitantem uerbera Ponto
 Hæc inter Scythica rex implacabilis ira
 Talibus incendit ductoris pectora lydi
 Illum propter Halym, Boccho concepit Amason
 Mixta Deo mixtumq; illi dedit Ombrina nomen
 Magnanime antiquum diuum genus, inclyte bello
 Ante altos Halybacche meis fidiſſime regnis
 Dum me Dalmatico nequiquam Scodra tumultu
 Inſœlix tenet. I ſeuis tu Pannonas armis
 Coruunumq; impelle ducem, licet ille ſuperbos
 lactet auos patrijsq; inſultet uribus hostis
 Tu iuga Danubio Breucisq; impone ſubaclis
 Noui ego quos animos ingenti pectore uerſes
 Turcarum decus imperij ſpes maxima noſtri
 I celer & ſpolijs redeas ornatus opimis
 Extemplo Illyricis ductor ſe Lydius oris
 Intulit aut Euro Icarijs cum pugnat in undis
 Aut Choro ſimilis magno cum murmure frangit
 Herculeam Calpen, ſerpentiſerumue Athlanta,
 Non illum ærij montes, non alta retardant
 Flumina, concedit Macedo Myſusq; Tryballusq;

Impiger

Impiger, & turco calcantur milite carni
 Verum ubi collatis acies Coruina furenti
 Obuia processit signis atq; agmina contra
 Matthias tyrio emicuit Romanus in ostro
 Tum primum trepidare animis, atq; auertere uultus
 Ductor Amasonius, cepitq; indigna suorum
 Fata queri, bisq; infaustis assultibus amens
 Vix celeri peruectus equo, sese agmine fuso
 Proripuit bis terga fugæ dedit obrutus hastis
 Ut se reliquias inter collegit, & omnes
 Palantes trepidus toto uidet æquore turmas
 Multa gemens coelumq; obtestans uocibus infit,
 Quis Deus his Magmede pater, quæ tanta tuetur
 Matthiam superum facies? quid nostra relinquis
 Signa: quid in primo mentem certamine turbas?
 Non hæc auspicijs olim sperare iubebas
 Heu heu quot periere iuri, quot clara meorum
 Lumina sunt extincta ducum, da dedecus istud
 Vlisci pater, & dignas me sumere poenas.
 Hæc fatus, toto uires parat acer ab orbe,
 Et matore uirum ui percitus emicat ardens
 Ac ueluti primi uictus certamine cursus
 Acer equus rursus cura firmatus herili
 Carpit iter medijsq; effert sese arduus aruis
 Et palmam & raptos incassum exposcit honores
 Talis se bello Mæandrius intulit heros

L A V D E S B E L L I C A E

Quo uesane ruis fatis male fretus auitis?
 Matthia sternente cades, nec mater Amazon
 Corniger aut genitor morientem iuuerit euan,
 Interea magno celsam munuerat arcem
 Aggere taurinum contra curuamq; bicornis
 Illa Sauri muris ripam firmauerat altis
 Non his audacem passus consistere Turcam
 Finibus, obsessas admoto milite turres
 Vi capis, & captas radicibus eruis imis,
 Nec te Matthia belli uis ulla, nec ullus
 Impetus auertit dura obsidione prementem
 Moenia delectis donec patefacta ruinis
 Intra sti curru uictor sublimis ouanti,
 Et ualidam infandis rapuisti ex hostibus arcem,
 Tum uero obnixis animis Basterna iuuentus
 Ante arcem toto concurrunt agmine uersam,
 Terq; quaterque duces ineunt mala praelia Turci
 Effusiq; pedem retro impellente dedere
 Pannone tum disiectæ acies, resoluta phalangis
 Et tristi compago ruit per uulnera casu
 Inclinat turbata cohors, undantiaq; urget
 Agmina per medios uolitans Rex Hunnicus hostes
 Agminis ipse instar totius, milia letho
 Multa dat, & uastam diuersa strage ruinam
 Quæ postquam extremo prospexit ab agmine ductor.
 Lydius, & uersis nescit succurrere rebus

In cuneum

T. C O R T E S I I

In cuneum coiere duces, nec iam amplius ulla
 Cura fugæ est, fœda squalent arua omnia clade
 Tum demum iubet ira truci decernere ferro
 Et decus & cara mortis pro laude cupido
 Euolat infœlix, cœlum diuosq; precatus
 Bacche pater mundi quondam regnator æoi
 Quisquis es, & cœli quacunq; in parte moraris
 Extremam si me genuisti hanc accipe uocem.
 Non ego iam ulterius genitor, non ulla reposco
 Effugia, haud superesse uelim tot cœdibus unus
 Testis & in patriam gentes pudor ipse reuerti,
 Iamq; uale tuq; ipse tibi cape funere tanto
 Deuotum hoc Magmede caput iuuat ire per enses
 Degenerem, nec me ulla olim damnauerit ætas
 Hæc memorans densum properat moriturus in agmen
 Interea nigro quantos demittit auerno
 Ille uiros, quot calcat equo, quot traicit hasta?
 Quis mihi dux inuicte tuæ nunc fortia dextræ
 Facta canat? stupuit medijs Rex Martius aruis
 Prælia miscentem, & geminantem uulnera ferro,
 Tunc inter gemitus magno sic ore minatur
 Quo te dira lues, ueriq; ignara tonantis
 Relligio miserum quo te rapit improbe? lethum
 Quin potius fugis? atq; equidẽ iam septima promptũ
 Te potuit fecisse fuga, aut si tanta cupido est
 Morte tuos maiore sequi, sequerere inquit & enses

L A V D E S B E L L I C A E

Fulmineum assurgens adigit per pectora dextra
 At iuuenis tanti prostratus mole lacerti
 Thermoodantiaco respersit sanguine terram
 Lapsus equo, dulcemq; animam uomit ore cruento
 Infelix seu aeterna manent incendia fontem
 Seu dira exercent in te tormenta sorores,
 Letior hac stygias dextra fugis ictus ad umbras
 Hic oritur caedes faciesq; miserrima pugnae
 Arua rubent alto late stagnata cruore
 Plenaq; sanguineis crescunt torrentia riuis
 Et loca corporibus complentur tristia truncis
 Ut cum Phlegræis genitor Saturnius aruis
 Terrigenas contra fratres stetit, atq; flagranti
 Corripuit telo Encheladum simul ad styga trusit
 Centimanum Briareum simul anguipedem Typhona
 Bisseptem uacuo Turcarum millia campo
 Alitibusq; forisq; iacent data pabula diris,
 Ut procul heu tantum cōgesta strage cadauer
 Sæuaq; magnanimus uidit spectacula Princeps
 Utq; aruo stetit in medio sat cara superque
 Sæutum est clamat, legio iam parcite uictis,
 Si quisquam cladi superest, finite ille supersit
 Nuncius, & scythico referat me a facta tyranno
 Tum genibus terram amplectens, tibi maxime uota
 Christe Deum toto soluam non immemor æuo
 Tu puerum regno insignem clarisq; triumphis

Auxisti

T. C O R T E S I I A J

Auxisti, fortuna mihi te præsidi leta est
 Successu interea tali dâ sancte superbos
 Excutere Ausonijs longe ceruicibus hostes
 Hec ait, & magna responsant uoce cohortes
 Vt primum tantæ cladis per nubila raptus
 Peruenit pauidas Othomanni rumor ad aures
 Ac uelut instaret tergo & iam castra teneret
 Pannon ab Illyrico properans iactantior Istro
 O nimium Turcis Matthia nate ruinis
 Exclamat, quanta fraudas mea nomina laude
 Tum secum illachrymans Scodram obsidione repente
 Liberat, & Graijs subito se reddidit oris?
 Qualis hyperboreum penna crepitante columba
 Accipitrem fugit, & præceps in tecta reuertit
 Quod nisi ciuilibus reuocasset fata tumultus
 Nunc tota imperio pareret Mysia nostro
 Sub iuga Turca ferox, nec tot gauderet adacta
 Urbibus insultans miseris, nec strage cruenta
 Tam multis uacuas uiduasset regibus oras
 Scit Carnutus ager Turcam scit Mysia tota
 Cum premeres quanto torquebas turbine telum
 Fatifero cædens disiectas ense cateruas
 Ceu secat incuruus flauentes messor aristas
 Talem belligera miscentem prelia mala
 Crinibus & uastis fretum Sansona lacertis
 Sæpe palestinas fama est mactasse phalanges

L A V D E S B E L L I C A E

Ipse ruens rapido per strata cadauera cursu
 Cæforum informes cumulis addebat aceruos
 Pulsabatq; acies mala stridente choruscas,
 Quot natos fleuere patres, & dulcia matres
 Pignora? quot uidue raptos in bella maritos?
 Quid modo quàm caute nosti ductare cateruas
 Commemorem aut pugne que captas tempora, quæue
 Componis cuneos, quæue instruis arte manipulos,
 Seu densas, campo explicuit seu totus aperto
 Ordinibus longis sectas exercitus alas,
 Ut solet accluem per collem ponere uites
 Agricola innumeras, tum recto limite passim
 Mille uias, & mille uias secat, omnis in unguem
 Structus ager sudibus, cannisq; palustribus horret,
 Hinc fregisse mora nemo est te promptior hostem
 Fortiter & duri tolerare incommoda Martis
 Insomnis celsa qualis de puppe magister
 Veliuoli fluctus pelagi qui nouerit omnes
 Qua lateat rupes, ubi ferueat æstus harenis
 Vnde ruant hymbres, uentorum unde ingruat agmen.
 Surda prius taciti scrutatur murmura Ponti,
 Aeoliamq; auras captando prouidet iram,
 Armata & ad quæcunq; parentur prælia sese,
 Sæpe nemus fluuiumq; & inexuperabile dorsum
 Humano qua pressa pede uestigia non sunt
 Ense uiam faciente subis, properandaq; suctus

Maturare

BAT. CORTESII.

Maturare hostem securo in limine segnem
 Ante expectatum uicino Marte laceſſis
 Ergo uagus toto peragrat quem Sarmata tractu,
 Quem Geta, quemq; aquilo glacialibus obruit alis
 Vt procul insonuit Coruini nuntia late
 Fama ducis, Inquunt tauros & aratra coloni
 Auiq; auersi sese in deserta relegant
 Pastores, errant incustodita per agros
 Armenta, at curuis trahitur casa pendula plaustris
 Dijq; Lares, frugesq; focusq; & parua supellex,
 Sæpe puer caræ nutricis ab ubere pendens
 Continuit querulos audito nomine fletus
 Quinetiam subito partum clangore tubarum
 Territa abortiuum rupti nurus edidit aluo,
 At non & celeres raptantem in prælia turmas
 Territa deseruit carum Regina maritum
 Italidum Regina decus, cui luce micantes
 Sydereæ flagrant oculi cum dulce decoris
 Extulit os formosa genis uelut æthere puro
 Roscida puniceis oriens aurora quadrigis
 Non satis est castæ mores, studiumq; Mineruæ
 Non satis ambrosio Veneri rapuisse capillos.
 Et plenas puero pharetras, & lumina Phœbo,
 Musarum fruitur donis decimumq; sedile
 Implet, Amazonios audax æquare labores
 Et comes armatos ut tecum fida per hostes

L A V D E S B E L L I C A E

Qualis per densas acies Mythridatica coniunx
 Magnanimum sequiturq; uirum tergoq; recepta
 Aeris equi tenditq; arcus & spicula uibrat,
 Atq; huc atq; illuc circumuolat omnia, solum
 Respiciens, soloq; oculos in coniuge fixa
 Et secura sui caro timet illa marito,
 Haud aliter generisq; memor laudumq; priorum
 Milibus in medijs ardens pharetrata beatrix
 Robur Aragonium tenero sub pectore uersat,
 Ingentesq; subit curas ingentia facta
 Foemina, foemineis matoraq; uiribus audet
 Talibus excitus patrijs non degener armis
 Vndiq; collecto tota iam milite uictor
 Regni mole paras crudelem expellere Turcam,
 Thraciaq; Ausonijs auertere tela uolatis
 At te finitimis bellatrix Austria regnis
 Impulit inuitum saeuis accingier armis
 Atq; aliò uires aliò conuertere ferrum
 Quid mea plus æquo clamasti uota moraris?
 Quàm male consultum rebus fortuna secundis?
 Quid me saeva tenes, ineat dic foedera Caesar
 Qua ratione uelit, dum patria iura supersint
 Quæq; tot ingenti bellis ditone parauit
 Tuta domi sint regna mihi, iam nulla recusem
 Prælia, nulla uicis fatiq; horrenda pericla
 Ibo per Ambracios saltus & Pontica scindam

Aequora

T. C O R T E S I I

Aequora, & argolico committam signa sub isthmo,
 Prosternensq; Dacos & Iazygas armis
 Mœnia tormentis quatiâ Byzantia nostris
 Nulla mora est, gelido tremuit conterrita uultu
 Quam gestas fortuna sinu, nihil hiscere contra
 Ausa tuam geminis ceruicem amplectitur ulnis,
 Occultumq; animis pugnandi inspirat amorem
 Atq; nouum molitur opus, noua bella ministrat,
 Heu quantû infœlix lachrymarû atq; Austria quantû
 Sanguinis effundes, quid bellum insana laceßis?
 Num te desidiæ tædet, uitæq; prioris
 Ocia degeneri fugis illaudata ueterno
 Quo duce si mentem bellorum gloria tangit
 Tu melius toto fieri potes inclyta mundo?
 Quam fuerat satius uictorem admittere Regem,
 Mœnibus & nullos contra tolerare labores
 Ecce triumphata iam nunc ceruice recumbis
 Et piget ingratis tantum durasse periculis
 Scilicet illa tuis Matthia obsistere demens
 Viribus optabat, quem non compage muali
 Caucasæ rupes Rhodopæaq; saxa ruentem
 Sustineant cui terra patet, cui panditur æther
 Cui uia per medios aperitur in æquore fluctus
 Pone modum lachrymis, nec solum Roma quirites
 Marcellos tacta & Fabios & nomina prisca
 Coruinos Mariosq; refert en magnus auis

L A V D E S B E L L I C A E

Matthias urtute duces & fortibus ingens
 Patricios aequat factis bellator honores
 Nam uelut exarsit rapta pro coniuge in iras
 Taurus ubi & duris acuit sua cornua saxis
 Et pedibus iam spargit humum, iamq; ora cruentus
 Terrifico terram mugitu & sydera complet,
 Talis finitimos bellum molitur in hostes
 Matthias quaq; arma trahit, quaq; agmina ducit
 Omnia debilitata labant ceu moenia uastis
 Arietibus concussa, quid aut castella relicta
 Aut desolatas uersu nunc prosequar urbes
 Quid memorem euersas acies, pugnataq; bella,
 Germanosq; bono superatos milite montes
 Nec non Danubij uictricia signa ferentis
 Mille altum ingentem contactam nauibus alucum,
 Aut quid marmoreæ dicam expugnata Viennæ
 Moenia, & oppressas tantis conatibus arces
 Et longa insignem partum obsidione triumphum.
 Atq; nouam nuper tam magni nominis urbem
 Ardua disiectis curuantem brachia muris
 Adiciam? iam nunc spolijs uestire decoris
 Et postes & templi iuuat iuuat humida ferre
 Serta coronatis uictrici fronde capillis
 Vrbs equidem tigili nunc primum libera cura
 Soluitur, & festis ornat delubra Corymbis
 Ipsaq; letiferi nutrix Germania belli

Palladiæ crines ramis præcingit oliuæ,
 Incedunt patrio Princeps de more senatus,
 Et plebs & nuuca uelatus ueste sacerdos
 Exemplaq; tuo soluunt pia uota per aras
 Et sacra unigenæ peragunt solennia Christo
 Per fora, perq; uias passim diffusa iuuentus
 Ingreditur, cessantq; operum artificumq; labores
 Ipse triumphales inter uicta agmina pompas
 Letas agens curruq; rotis inuectus abenis
 Quadrijugo procedis ouans plaususq; frementes
 Excipis ingenti cum te clamore salutat
 Miles, & armisonis complentur uocibus aure
 lam uideor rutilas auro spectare curules
 Et regale auro solium argentoq; superbium
 In medio populis te dantem iura subactis
 Quanta quies animo diris circumdatus armis
 Pacem fronte geris, quàm formidabile nomen
 Hostis eras, tam dulcis ades præsentia cari
 Principis, in te omnes, in te mirantia figunt
 Lumina, & oblitis immoti sensibus herent
 Poenitet exacti per tanta pericula Martis
 Conclamant ualidis cui propugnacula muris
 Clausimus, & duras ærato cardine portas
 In quem tam multos bellum produximus annos,
 O utinam uallo trepidam cum cingeret urbem
 Nota ducis pietas placidi spectata fuisset

L A V D E S B E L L I C A E

Maestas uultus ultrò in sua castra ruentes
 Issemus tantis summissi colla trophæis
 Hæc ubi dicta citos uirtus auriga iugales
 Ducit lora ferens, & leto candida uultu
 Pone sequens fortuna Deam comitatur ouantem
 Vna eodem phas atq; pium uectantur in axe,
 Atq; honor, & ninicis uolitans uictoria pennis
 At Chorus aonidum cythara modulatus eburna
 Mille modos totum uertunt à fontibus imis
 In laudes heliconæ tuas & flumina Dirces
 Ipse egomet uario laudum distractus honore
 Obruor, & captæ blanda dulcedine mentis
 Confusus stupeo, nec sum mihi crede furori
 Leticieq; satis cunctos equare poetas,
 Ardeo & Ausonijs superare æneida plectris
 Pars quota, sed rerum Matthia est illa tuarum
 Nam superant cæptis maiora audacibus, & quæ
 Nunc facis, & quæ uenturos moliris in annos
 Ac ueluti si quis studeat cohibere tumentem
 Eridanum, aut septem geminus cum creuerit Ister
 Noctes atq; dies incuruas aggere ripas
 Agricola incassum metuens foelicibus aruis
 Munit & obducto circumdat flumina uallo
 Illi exundantes sinuoso gurgite late
 Obiectam superant molem campoq; potiti
 Qualibet obijcibus bacchantur in æquore ruptis
Non aliter

Non aliter quicumq; tuas describere laudes
 Dicendo cupit, ingenti stupet ille labore
 Irrita pertæsus tantarum exordia rerum
 Calcatas ne loquar glacies pulsataq; crebris
 Aequora quadrupedum pedibus uitreasq; per undas
 Candida fluminibus tentoria fixa gelatis?
 Aut perlustratas referam tot cursibus oras
 Tot loca tam multis uulgo exornata tropæis
 Ac uariolate fusos discrimine Dacas
 Illyrios, Mysosq; securiferosq; Polonos
 Et domitum fractis tam pridem cornibus Albim,
 An procul expulsos Nomadas, ferasq; luentes
 Pastores rupto Siculos pro foedere Pœnas
 Thrynacriæ Siculos quondam Scythiæq; colonos
 Fortia magnanimos præbentes colla Volachos
 Qui referunt prisca Romanam ab origine gentem,
 Turcarum an seruile iugum populisq; paratum
 Proh dolor hesperijs, dominæq; minantia Romæ
 Fracta tua tot tela manu, gentisq; nefandæ
 Addam Dalmaticis tot strata cadauera campis?
 Magnanimus ueluti Libycis regnator in aruis
 Cum dirum fremit ore leo, si forte laceffit
 Venator, seu dura famês impellit in iras
 Dant quercus dant saxa locum, fugit æquore toto
 Segne pecus, trepidæq; feræ spelæa requirunt,
 Aestuat ipse sui uindæx ac cæde eruentus,

L A V D E S B E L L I C A E

Mactat apros, uario lacerat certamine tauros,
 Vnguibus & uolucres Lynceas discerpit aduncis
 Ora madent sanie, & fuluos cruor irrigat armos
 Mira fides cristis quotiens flagrantibus ardens
 Inuolutas, celsaq; micas ceruice tremendus
 Ut cum terrifico Mauors horrentia cursu
 Bisthonijs terit arua rotis uictricia tecum
 Fata trahis diuūmq; omnes hominumq; fauores
 Ipse ferox oculis uolucrem spirantibus ignem
 Instructos late cuneos sinuataq; lustras
 Cornua, disponens peditumq; equitumq; cateruas
 Tum te pulsa tremu magno cum murmure tellus,
 Bellatorum audum stimulantem pectus equorum
 Nec mora terribiles cum primum ad sydera toruunt
 Intonuere tubæ cum se clangore uicissim
 Increpitant, prior aduersus ruis acer in hostes
 Quaq; inuadis atrox, & qua ui feruidus instas
 Nil te ferre ualet, tanto conamine præcept
 Funditus obritas acies procul impetus aufert
 Thracius haud aliter Boreæ cum spiritus atris
 Nubibus & pelago incubuit stridentibus alis
 Fit strepitus qua parte ruit, coelamq; fretumq;
 Proripiunt cæduntq; minis, ille agminis instar
 Diripit horrisero uolitantem flamine mundum,
 Atq; ubi crudescit furiarum uerberere cædes
 Et fera uipereo seuit bellona flagello,

Non secus

Non secus aggeribus ruptis torrentia torquent
 Saxa simul, simul omne pecus sylvasq; natantes,
 Non impune tibi quisquam uenit obuius ultro
 Irritatq; acres animos, iramq; laceſcit,
 Namq; minax uultu requiemq; moramq; perofus
 Sanguineum perrumpis iter, per tela, per enses,
 Sternis agros, quatis infensas terroribus urbes,
 Quale uiam rapidum medijs ubi rupit ab astris
 Fulmen & aërios dissecit turbine montes,
 Concussa reboant turres, urbsq; alta remugit
 Et precibus pauide cumulant altaria matres,
 I nunc & seclī laudatrix fama prioris
 Hesperiam mirare fidem, atq; ingentia Regum
 Nomina Gallorum, & raptos orientis honores
 Non Attilæ fortuna prior, non Gotthica laurus
 Germanumq; decus, nec uicto maior horonte
 Matthia Saladina erat, nec Græcia Reges,
 Nec Babylon quos alta tulit, quosq; horrida laudat.
 Africa quos tepidi mirantur flumina Nili,
 Quæ regio laudum Matthia ignara tuarum?
 Qui locus est usquam, Tanais te sentit & arctos
 Te Gades Scotusq; sonant, te cœlifer Athlas
 Aeousq; tuo turbatur nomine Ganges,
 Quin prostrata ducum concedant facta priorum
 Imperio quemcunq; suo Byzantia tellus,
 Aut Romana dedit, fretus uictoricibus armis

L A V D E S B E L L I C A E

Transierit licet Euphratem & superauerit Indum
 Nec uero Aegides tantis sese extulit actis
 Centaureos ferro Iapythos, & cresta quamuis
 Mactarit monstra, & stygium concusserit orbem,
 Nec Libycam secuit qui gorgona, quicq; chymarum
 Igniuomo rapidas efflantem gutture flammam
 Nec qui Colchiacum nudauit uellere phasim
 Ausus inasucta primum freta scindere puppe
 Praeferrī iam nemo potest tibi iure, superbis
 Semideos armis aequas, & solus in omnes
 Heroas iam stare potes, lux temporis huius
 Militiaeq; parens & belli gloria magnis
 Laudibus obscuras ueterum miracula rerum
 Salue Martis honos, Martis genus, optima bello
 Dextera, Romanis maioribus aemula uirtus,
 O foelix nimium soboles, foelicia quae te
 Tempora, quae talem tantum tulit inclyta tellus,
 Non magis aut Phoebo Delos, aut Creta tonante
 Aut gemino pugnax Lacedaemon gaudeat ostro,
 In freta prorumpens septena per hostia magno
 Gurgite dum fluctus Ister turbabit amarus,
 Dum patrijs latiae musis memorabile linguae
 Viuet opus, nullo diu periturus in aeuo
 Matthiae durabit honos, nec nominis unquam
 Deficient monumenta sacri, uenturaq; quondam
 Saecula palmiferos delebunt nulla triumphos

Scilicet

Scilicet æois olim subnixæ columnis
Mausolea ruent, altosq; æquantia montes
Marmora Pyramidum scindet longæua uetustas
At tua uenturi uatum celebrata nepotes
Carmine facta legent, & sero traditus æuo
Notus eris ducibus decus exemplarq; futuris
Christe pater, tuq; ætheriæ qui ianitor aule, es;
Qui uaticanum & latialem respicis urbem,
Si benefacta iuuant, & nominis ullus auite
Restat honos, date foelici pia numina cursu
Longæuas in luce moras placidamq; salutem
Et raptæ imperij referentem sceptræ latini,
Ne prohibete italas orienti imponere leges,
Quanquàm stelligeri totiens plaga candida cœli
Te reuocat, cupide iam pridem celsa morantur
Astra nouum arctoo sydus factura trioni
Tu potius præsens hominum labentia cura
Facta diu, lentoq; leuis pete sydera gressu,
Dum magnis matora paras intexere rebus,
Affectusq; uiam merito sublimis olympo
Quippe ubi tot terrere italas successibus urbes
Pergu tam multis elatus Turca triumphis
Classe natat tanta uictor freta, maximus orbem
Hesperium timor ingenti formidine pulsat
In te spes arrectæ hominum curæq; reposte
Ut cum cœruleis tempestas hymbribus orta

L A V D E S B E L L I C A E

Collectas glomerat nubes ac turbine nigro
Præceps tam ruitura satis syluisq; minatur
Si fax disiectos rutilis Titania nitbos
Cœpit equis afflare, neq; irrita uota feruntur

F I N I S

Haganœ apud Iohannem Sceritum,


M. D. XXXI.


Mense Iulio.



1730
M. D. C. C. C. C. C.
M. D. C. C. C. C. C.







Konserwacja dokonana w r. 1953
przez Piotra Karowskiego
Inteligatora Biblioteki Miejskiej

B 847 - B 855

